



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Faustinus Et Jovita MM. 15. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

impostor habetur, à columbâ cibum accipit. Verbis deinde ac miraculis Christi divinitatem & virginitatem Christi Matris propugnat. Obiit denique longâ patientiâ clarus, & vermes, cum è putrido vulnere exciderent, loco suo reponere solitus. Nos delicati vermium nomen horremus, sed morrui baculo scilicet (ut ille canes) abigemus.

Ex Metaphr.

Quid est parare viam Domini, nisi adventanti de celo Iudici, purgato à vitiis pectore, simplicis cordis habitaculum preparare? Quid est rectas facite semitas ejus, nisi ut tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectatur? S. Maxim. hom. 1. de S. Joan. Bapt.

SS. FAUSTINUS ET JOVITA MM.

15. Februarii.

Sub annum Christianū C. XXXII. cum Brixien-
sis Pontifex Apollonius metu tyrannidis fugâ subduxisset sese, ne barbaro furori lacerandus Christi grex pateret, meliores in locum Pastores FAUSTINVS Sacerdos & JOVITA Diaconus successere. Certè animas suas non multò post impendere gregi suo non dubitarunt, cum memorabiles prius pugnas edidissent, quibus non modò Italicum Comitem, sed Adrianum ipsum Imp. quin imò ipsos Deos triumpharunt. Solis enim Colossum adorare jussi, hunc primò in carbones, deinde in favillas redegerunt, filio suo Phaëthonti posthac similem. Jam leones, leopardi, ursi que virtutem in Pastoribus nostris horruerunt, & cum prius carnifices, interque hos sacrificulum Saturni, Comitemque Italicum lacerassent, imperio Martyrum in silvas, & nemora sua emigrarunt.

Post

Post tot victorias etiam inter flammæ cantare
Pæana placuit. Denique ubi per omnem Italiam
circumducti omnia theatra sanguine suo pinxe-
runt, patria rursus excepit, & gladio cæsos coro-
navit. Fama obtinuit Angelos cælo ad vinctos de-
volasse in carcerem, & sacram Eucharistiam præ-
bentibus Ministros adstitisse. Videtis Mariani, in
quorum officium involetis, cum ad aram servitis?
Profectò aut muneris hujus vos non pudebit, aut
Angelis similes esse pigebit. *Ex Surio.*

*Cum Ecclesiasticis officiis ritè credatur Angelorum
semper adesse præsentiam, nostramque vigilantiam sive
desidiam non modò diligenter attendere, sed & superno
Iudici cuncta per ordinem nunciare; quanto putamus
adversus nos zelo moventur, dum in conspectu illius nos
irreverenter sedere conspiciunt, cui ipsi trementes assi-
stunt? S. Pet. Dam. l. 3. Ep. 8.*

S. SIGEFRIDUS EP. 15. Februarii.

Liceat exclamare, ô mores! ô tempora! Quos
nunc pellit Anglia fidei Doctores, hos olim
velut Colonias meliores in orbem omnem mit-
tebat, ea demum fœdera cum regibus sancta esse
censens, quæ fides, quæ, quos diximus, feciales pe-
pigissent. Ita Olaus Suecorum & Gothorum Rex
præconem verbi divini SIGEFRIDVM impetravit
ab Angliâ, quem hodie rectiùs ipsa accerferet. So-
cios ille traxit Unamannum, Sunamannum & Vi-
vamannum nepotes suos. Poterat Insula deinceps
Fortunata dici, postquam hi heroes ad illam ap-
pulti sunt. Certè beatum se putavit, qui Insulæ
præfectus erat, cum inter sacra à SIGEFRIDO tolli
in altum non jam panis umbram, sed augustâ spe-
cie puerum vidit; moxque pueri hujus manibus
E manus